





HONOR LABOR VALOR
SUPRA DIVISAS
AVE
MARIA
GRATIA
PLENA
EN LAS
STURIAS DE SAN
TILLANA
EX-LIBRIS
FRANCISCO DE LA GUERRA



✠

El Presbítero Don Mariano Iriarte, y el Dr. Don Agustin su Hermano, á nombre de su Padre Don Bernardo Iriarte suplican á V. el honor de su asistencia á el Acto mayor de Estatuto de Medicina que ha de sustentar su Ahijado el Br. Don Pedro Ramirez el dia 13 del corriente á las quatro de la tarde en la Real Universidad.


S.S. COSMO, E DAMIANO M.ri

COSMAE ET DAMIANO

Natura, ingenio, ac religionis studio
Conjunctissimis fratribus.
Medicae professionis
Barbaras inter, ac supertitiosas gentes
Optimis nobilissimis cultoribus,
Qui
In morborum vel insanabilium curatione.
Vehementi, atque industrio zelo
Etnicorum animos sibi devincientes,
Christi Ecclesiam
Nova fidelium accessione
Illustrarunt, auxerunt, dilatarunt.
Inclytis Martyribus,
Qui ob Catholicae fidei defensionem
Summum cruciatum, suppliciumque
Pectore impavido subiere

PETRUS DE RAMIREZ

Subscriptas Medicinae theses
C. D.



(D. L. D. R.)

Guadalaxarae, apud Mariannum Valdes Tellez Giron, Typographum, ad Plateam S. Dominici.

MEDICINA.

Quae Recentiorum industria, & labore emolumenti plurimum, ac perfectionis comparavit: Medicinam non immerito secundam animantium valetudinem tuendi, adversae occurrendi, ac medendi scientiam Medici appellavere.

PHYSIOLOGIA.

PRima Medicinae pars, quae Physiologia dicitur, corporis humani sani partes, fabricam, & effecta, quae ex his sequuntur, contemplatur.

Aspectabilis corporis humani fabrica conflatur solidis, liquidis, & fluidis.

Horum unicuique sua privata est natura, ut tot, tamque diversae vivi corporis actiones exerceantur.

In enarrandis his actionibus ab alimentis ingerendis, & successive in corpore permutandis initium faciemus.

Alimenta priusquam ingerantur pro diversitate praeparationis, subeundis chylopoyesios, & haematopoyesios mutationibus aptiora redduntur.

Operosa alimentorum in Chylum permutatio plurimas habet causas, quae merito ad mechanicas, & chemicas referri possunt.

Me-

Mechanicae sunt: morsus, oris caloricum perpetuum, Ventriculi, Intestinorum, & ambientium partium earumdem pressió assidua, & aliae quarum omnium actione perficitur ciborum attenuatio, in particulas minores, atque uniformem massam.

Hujus maxima utilitas facile cognoscitur, ex eo, quod cibis attenuatis, partes eorum nutriciae plures exhibeant superficies aliis, quae digestionem perficiunt causis.

Hujus generis sunt: saliva, succus gastricus, & alii humores in cavum Ventriculi, & Intestinorum exsudantes, qui ingestis varis locis permisti actione mechanica, & subacti alimentitia eorum principia in elementa proculdubio dissolvunt.

Haec aliis ex praedictis humoribus elementis ita denuo inter se invicem uniuntur, & combinantur affinitatum ope, ut liquidum semper prodeat homogeneum, lacti non absimile sive vegetalia, & animalia seorsim, vel commista ingerantur.

Hujus mirabilis certe phaenomeni causam, quam prisca Medicorum gens quaesivit diu irrito labore, hodiernam sequuti chemicorum doctrinam explicamus.

Non ergo fingendae ad hoc opus emulsio, trituratio, facultates peripateticorum, Archaeus faber, & aliae à veteribus excogitatae hypoteses.

Assumptorum, & humorum pars, quae in chylum jam enarratis causis permutari abnuit, exsucca, flavoque à bile colore tincta pellitur ex intestinis, forma cohaerente adhucdum.

Hujus putridus, & stercoreus faetor hydrogenio sulfurato, phosphorato, carbonato, & ammoniaco seor

sim,

sim, vel combinatis prout materia est faecum tribuendus.

Erit ergo faetoris, & flavi coloris faecum causa fermentum stercoreum, ut Helmontiani tanto animorum aestu propugnabant? Minime.

Pars vero, quae lactis induit naturam, pervadit lacteorum meatus, atque perpetuo, & affatim confluente lympha propius accedens ad nutriendi corporis naturam sanguini infunditur.

Verumtamen aliquam hujus partem eamque magis tenuem, & lymphaticam venulis meseraicis receptam, ad Hepar ferri, aliqua veri specie existimamus.

Antiquitati vero asserenti chylum in Intestinis elaboratum eo totum advehi, & in sanguinem converti, aperte inficiamur.

Chylus igitur lacteis receptus, & sanguini infusus fertur in Pulmones, ubi chemicae subjicitur, atque mechanicae aëris actioni.

Mechanica miscetur intime, inaequaliter premitur, transitus expeditur, ut ex arteriis in venas pulmonales fluat.

Chemica actione vitalis aër venas pulmonales ingreditur, atque ejusdem pars altera cum ferro combinatur ita, ut purpureum colorem referat.

Altera vero hidrogenio, & carboni vaporis animalis unitur.

Ferrum oxidatum validum producit incitamentum in corde, & vasis circulationi non parum adjuvans.

Ex praefatis autem oxigenii combinationibus veram esse in pulmonibus combustionem, intelligitur facile.

Quae

Quae quidem combustio major erit pro ratione magnitudinis pulmonum, sanitatis, respirationum frequentiae, aëris densitatis.

Hanc autem calorici animalis esse scaturiginem nemo sanae mentis inficiabitur.

Quo plus arteriae, minus venae abundant.

Cum vero experimentis certo constet, nullum arëem licet gravis, & elasticus sit posse praefatis muneribus perfungi, solum aerem gas oxigenio impraegnatum huic operi aptum esse concludimus.

Hinc opinionem quorumdam Recentiorum, qui experimentis in se ipsis tentatis, statuunt gas hidrogenium respirabilem esse prorsus rejiciendam putamus.

Frustra igitur sudarunt veteres in inquirenda sanguinis rubri coloris causa, & calorici animalis.

Imo immerito prorsus judicarunt sanguinem in pulmonibus refrigerari.

Ne autem ex praefata combustione ortum caloricum, sine jactura increscens corpus cito destrueret, sapienter cavit natura jugi exhalatione.

Qua corpus praeterea humectatur, ab objectis affici aptum reditur, ejus partes à concretione impediuntur, maxima aquae hidrogenii & carbonis copia liberatur.

Sanguinis aqua, motu perpetuo, calorico, & vapore animali liquidus conservatur.

Principia, quae ex sanguine recens de corpore emisso sponte secedunt, sunt halitus, sanguinis coagulum, & serum.

Hujus halitus actioni, qua nititur dum intra corpus latet vasa nimis distendere, resistit aër atmosphericus

ricus

ricus corpus suo pondere, & elatere premens.

Gelatina vera est nutritionis materia.

Bilis in Hepate ex sanguine vena portarum advecto secernitur.

Hinc in vesicam per ductum cysticum defertur.

Hic & alii secreti humores aut mora solum vel aëre, & mora simul opitulantibus, lentescunt.

Urina humor est: excrementitius aqua, salibus, phosphate calcareo, aliisque substantiis superfluis corpus repurgans.

Nec acida, nec alkalina, nec serosa deprehenditur in estatu sano.

Mire autem mutatur pro ratione aetatis, alimenti, potulenti, medicamentorum, anni temporis, motus, animi affectuum, temporis coctionis.

Musculorum robur affinitati elementorum in tota fibra, & praecipue vi eorum contractili tribuendum arbitramur.

Horum motus fluidissimo, celerrimo, sensusque fugiente corpore peragi videntur.

Catameniorum fluxus à singulari vasorum uterinorum fabrica, & seminis stimulo, aliqua probabilitate pendere, arbitramur.

Non diffitemur tamen sanguinis copiam animi affectus, motus musculares, & alia stimulantia in fluxu sanguinis menstruo aliquam habere potestatem.

Lactis secretionem fieri ex chylo cum sanguine arterioso ad mammas advecto, non multum à veritate aberrat.

Quam varium autem sit lac, pro cibo, potu, medicamentis, vario tempore à pastu, animi affectibus,

pro

pro ratione denique temporis elapsi à partu respondebimus interroganti.

Qui relatas hactenus actiones, & alias homini proprias, exercet facile, jucunde, & cum quadam constantia, secunda fruitur valetudine.

PATHOLOGIA.

QUI vero easdem aut non exercet, aut ita peragit, ut sanitatis modum excedat, vel non attingat, jam morbo laborare credimus.

Tres sunt corporis status sanitatis scilicet, morbi, & opportunitatis.

In quocumque autem horum statu hominem fingamus, comperiemus, necessarium esse, ut caloricum aër, cibus, potus, aliaque id genus plurima in ejus corpus agant.

Quae quidem communem omnibus stimulandì proprietatem habent.

Alias vero unicuique privatas.

Cogitationes etiam, animi affectus, motus musculares sunt aliae potentiae, quibus aeque ac prioribus inest proprietas stimulandi.

Ut itaque praedictae potentiae in externas, & internas distingui possunt, sic & morborum causae.

Inter morbos, qui humano generi incubunt, alii ex solidorum damno trahunt originem.

Alii ex mutata liquidorum natura.

Morbi aut universales; aut topici sunt, quorum utrumque naturam cognoscere plurimum interest.

Morborum distinctio in haereditarios à Medicis excogitata prorsus inutilis. In-

Inter humani corporis partes quaedam sunt, quarum functionibus abolitis vitam trahere superstitem non possumus.

Caloricum robur corporibus conciliat.

Frigus eadem laxat, & debilitat.

Horum quolibet perspiratio coerceri potest.

Perspiratio impedita potius symptoma, quam morbi causa est.

SEMEIOTICE.

PUlsus observatio utilitatis plurimum affert in praxi.

Eo enim rite cognito non raro potest Medicus de statu corporis judicare, & secundos, aut infaustos morborum eventus praesagire.

At in his ita se gerere debet, ut prius oporteat meminisse, quod aetas, sexus, animi affectus mirifice eum mutare queant.

Respiratio facilis magna, non dolens, constans, & aequabilis, in morbis optimi semper est praesagii.

Quid parva, celeris, inaequalis, sufocativa, sublimis & frigida designet, quidque ad fidam diagnosin, & prognosin considerare oporteat quaerenti responsitabimus.

Diarrhoea in febribus finem morbo felici eventu imponere solet.

Haec si insciis aegris, cerebro illaesso, & absque paralysi sphinteris fiat, signum pessimum.

Si vero diu persistat macies sequetur, debilitas, dysenteria, tenesmus imo & mors.

Al-

Alvi dejectio levis, compacta, subflava, non valde grave olens, prodiens hora consueta, copia pro ratione ingestorum, optimi est ominis.

Alvi fluxus in hydrope incipiente salutari effectu quandoque observatur.

Fluxus vero colliquativus in hydrope jam confirmato saepe instantis mortis est praesagium.

Qui á venenis, & contagiosis morbis nihil patiuntur, non ideo integra esse sanitate credendum.

HYGIEINE.

Dificile admodum est regulas stabilire sanitatis tuendae, quae omnibus aequaliter prosint.

Cujus causa ut plurimum idiosyncrasia est.

Quae saepe effectus opositos edit in hominibus eadem vitae ratione utentibus.

Quaecumque subita mutatio fiat à consuetis in nova, ut corpus omnibus asuescat quammaxime periculosa.

THERAPEUTICA.

Falsum profecto est, medicamenta purgantia non agere nisi in ventriculum, & intestina.

Vomitoria, & purgantia in morbis acutis raro, & cum praemeditatione exhibenda.

Neque fas est cum corpus languescit eadem medicamenta propinare.

Cum vero à singulari causa haerente in ventriculo, & intestinis ortum ducat morbus, his uti medicamentis licet, & prodest.

Hel-

Helmontiana opinio nunquam venam secare jubens; & Botallina è converso venae sectionem in omni morbo convenire statuens, merito reprobanda.

EX CHIRURGIA, ET ANATOME.

FLuctuatio tumoris, mollities, albedo, remissio doloris, caloris, ruboris, tensionis pulsus, vertex mucronatus, gravitas dolori succedens, indicant pus jam, factum atque exitui paratum esse.

Empyemate laborantibus, si pus ichorosum, fibrillis mistum, faetidum, specillum instar ignis colorans, subcruentum fluxerit, grave malum imminet aegrotanti.

Segmenta anularia non statim ad divisionem asperae arteriae carent deliquio.

Cavitas labyrinthi aqua plena est.

EX HIPPOC. APHOR.

SAnus homo nullis debet legibus astringi, sed vita maxime varia uti, quae corpus ad omnes mutationes facile ferendas disponat,

Immodica corporis contabescentia, febricitantibus accidens semper timenda.

DE PUTREDINE.

PUtrefactio integra est cadaveris analysis.

Putrefactionis causa proxima est mors, quae aliis, & omnino diversis ab iis, quae in vita observantur occasionem praebet affinitatibus.

EX PHILOSOPHIA.

HOdierna chemicornm analysis funditus evertit peripateticorum opinionem statuentium corpora omnia ex quatuor elementis conflari.

Aqua sola calorici absentia in glaciem fragilem, duram, vitream, congelascit.

Corpora fluiditatis statum haud retinerent per varios Thermometri gradus, sed brevi proculdubio in auras abirent, deficiente atmospherae pondere.

Liquidorum transitum in fluida refrigeratio comitatur.



DEfendetur in Reg. Guadalax. Scientiar. Academ. (D. O. M. Immaculata Dei Genitrice Virgine MARIA hujus Castissimo Sponso JOSEPHO, necnon Sanctis Studiorum Patronis THOMA AQUINATE, JOANNE NEPOMUCENO, & ALOYSIO GONZAGA faventibus) Praeside D. D. D. MARIANO GARCIA DE LA TORRE ant. olim. S. Ildef. Coll. Reg. alumno, primae Medicinae Exed. moderatore, ipsius Facult. meritiss. antesign. hujus nobiliss. Civitat. Regalisque Nosoc. D. Mich. Medico design. Dies erit 13 mensis Julii anno Domini M. DCCC. V.



